Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26934
Copyright: Admont, Benediktinerstift

siue clericos seculares ad conuersionem suscipere nullius episcopi uel
prepositi contradictio uos inhibeat. Preterea hospitalem domum
a venerabili fratre nostro Chunrado apud Friesach constructam et
Admuntensi cenobio cum decimis apud Gedunitte antiquis et
nouellis, et cum ceteris siue patellis siue siluis. aut agris siue
mancipiis. uel cum concambio. siue rationabili donatione
donatam. uobis apostolico priuilegio roboramus. Obeunte uero
te nunc eiusdem loci abbate. uel tuorum quolibet successorum nullus in
ibi subreptionis qualibet astucia seu uiolentia preponatur. nisi
quem fratres communi consensu. uel pars consilii sanioris. secundum
dei timorem et beati benedicti regulam preuiderint eligendum.
Nulli ergo hominum omnino fas sit. idem cenobium temere per-
turbare. aut eius possessiones auferre. uel ablatas retinere.
minuere. aut temerariis uexationibus fatigare. sed omnia in-
tegra conseruentur. eorum pro quorum gubernatione et sustentatione
concessa sunt usibus omnimodis profutura. salua salzpurgensis
episcopi canonica reuerentia. Cui tamen omnino non liceat ei uexa-
tionem aliquam uel consuetudinem que regularium quieti no-
ceat irrogare. Siqua ergo in futurum ecclesiastica secularis ue per-
sona. hanc nostre constitutionis paginam sciens. contra eam temere
uenire temptauerit. secundo tercioue commonita. potestatis honorisque
sui dignitate careat. si non congrue satisfecerit. reamque se diuino
iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. et a sacra-
tissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi
aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subia-
ceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini